

Evangelium prædicant, de Evangelio vivere, (1) amplius quaeramus quam cibum simplicem, & necessaria vestimenta, & ut nec amplius teneamus nobis quam his qui necessitatem patiuntur. Prudentes (2) autem, ut prudenter intelligamus indigentium causas, propter quas sunt indigentes, & uniuscujusque dignitatem, quomodo educatus, & quantum necessarium habet. Multa enim sapientia opus est ei qui bene vult dispensare ecclesiasticos redditus. Sit etiam fidelis servus, & prudens, ut non effundat rationabilem, & spiritualem cibum quibus non oportet, volens ostendere se esse prudentem; illis scilicet qui magis necessarium habent verbum quod mores eorum ædificet, & vitam componat, quam quod illuminat scientiæ lucem; aut ne eis qui possunt acutius audire, pigeat exponere altiora, ne exponentes villa contemnantur ab his qui naturaliter sunt ingeniosi, aut per exercitationem sæcularis sapientiæ acuti. *Chrysostomus* in hom. 78. Adaptatur etiam & ad principes sæculares hæc parabola: unumquemque enim his quæ habet, ad communem utilitatem uti oportet, non ad nocendum conservorum, neque ad perditionem sui ipsius, sive habeat sapientiam, sive principatum, sive aliud quodecumque. *Rabbanus*. Dominus autem Christus est, familia autem supra quam constituit, est Ecclesia catholica. Difficile est ergo invenire in uno, ut & prudens sit, & fidelis, non autem impossibile: nec enim beatificaret eum qui non potest esse, cum subdit: *Beatus ille servus quem cum venerit dominus ejus, invenerit sic facientem*. *Hilarius* (can. 27.) Idem præcepto Domini sui obedientem, ut doctrinæ opportunitate verbum vitæ in æternitatis cibum alendæ familiæ dispense. *Remigius*. Notandum autem, quod sicut magna distantia est meritorum inter bonos prædicatores & bonos auditores; ita magna distantia est præmiorum. Bonos enim auditores, si vigilantes invenerit, faciet discumbere, ut *Lucas* dicit; bonos autem prædicatores super omnia bona sua constituet: unde sequitur: *Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum*. *Origenes* (tract. 32.) Ut scilicet contregnet cum Christo, cui omnia sua tradidit Pater; (3) sicut boni Patris Filius, super omnem Patris substantiam constitutus, participat hujusmodi dignitatem, & gloriam fidelibus, & prudentibus dispensatoribus suis, ut sint & ipsi super omnem creaturam. *Rabbanus*. Non ut soli, sed ut præ ceteris æterna præmia habeant, tum pro sua vita, tum pro gregis custodia. *Hilarius* (can.

(1) *Al.* nec amplius. (2) *Al.* deest autem. (3) *Nicolai* habet nam sicut. (4) *Al.* quomodo enim ardeat &c.

27.) Vel super omnia bona constituetur; idest, in Dei gloria collocabitur: quia nihil est ultra quod melius sit. *Chrysostomus* (hom. 78.) Deinde non solum ab honore qui imminet bonis, sed à pœna quam minatur malis, erudit auditorem, cum subdit: *Si autem dixerit malus servus ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire; & ceperit percutere servos suos &c.* *Augustinus* ad *Hesychium* (epist. 80. in princ.) Ex moribus hujus servi apparet animus ejus: quos mores licet breviter, Magister bonus curavit exprimere; idest superbiam, cum dicit, *Et ceperit percutere servos suos*; atque luxuriam, cum dicit; *Manducet autem, & bibat cum ebriis*. Ne quod dicebat: *Moram facit dominus meus*, desiderio sui domini dicere crederetur; (4) quo ardeat ille qui dixit *Psalm.* 41. „Sistit animam mea ad te Deum vivum: quando veniam?“ Dicendo enim, Quando veniam? moras se perpeti moleste ferebat: quia etiam quod tempore acceleratur, desiderio tardum videretur. *Origenes* (tract. 31.) Peccat autem in Deum quicumque Episcopus qui non quasi servus ministrat, sed quasi dominus, & frequenter ut amarus dominus per vim dominatur; & non esurientes suscipit, sed epulatur cum ebriosis, & semper somniat quia post multum temporis venturus est dominus. *Rabbanus*. Typice etiam potest intelligi conservos percutere, conscientias infirmorum verbo, vel exemplo vitare. *Hieronymus* (super *Venit dominus servus*.) Quod autem dicit, *Venit dominus servi illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat*, ad hoc dicit ut sciat, quando non putatur dominus, tunc eum esse venturum; & vigilantia, ac sollicitudinis dispensatores admonet. Porro quod dicit, *Dividet eum*, non est intelligendum quod gladio eum dissecet, sed à sanctorum consortio eum separet. *Origenes* (tract. 31.) Vel dividet eum quando spiritus ejus, idest spirituale donum, revertetur ad Deum, qui dedit eum; anima autem cum corpore suo vadit in gehennam. Justus autem non dividitur; sed anima ejus vadit cum spiritu, idest spirituali dono, ad regna cœlestia. Qui autem dividuntur, non habent postmodum in se partem spiritualis doni, quæ erat à Dono; sed relinquuntur pars quæ erat ipsorum, idest anima, quæ cum corpore panietur: unde sequitur: *Et partem ejus ponet cum hypocritis*. *Hieronymus* (in fin. *Comam.* ad cap. 24. *Matth.*) Cum his videlicet qui erant in agro, & qui molebant, & nihilominus derelicti sunt. Sæpe enim dicimus hypocritam aliud esse, & aliud ostendere; sicut & in agro, & in

mola

mola idem facere videbatur, sed exitus diversa voluntatis apparuit. *Rabbanus*. Vel cum hypocritis suscipit partem suam, scilicet duplicem gehennæ penam, idest ignis, & frigoris: unde sequitur: *Ibi erit fletus, & stridor dentium*: ad ignem enim pertinet fletus oculorum, ad frigus stridor dentium. *Origenes* (tract. 31.) Vel fletus erit eis qui male in hoc mundo ridentes fuerunt, & his qui requieverunt irrationabiliter, erit dentium stridor: nolentes enim dolores materialiter sufferre, compulsi tormentis, dentibus strident, illi scilicet qui manducaverunt acerbiter malitiæ. Ex his autem cognoscere est quoniam non solum qui fideles sunt, & prudentes, constituit Dominus super familiam suam, sed etiam malos; & quod (1) non salvas eos hoc quod constituti sunt à Domino super familiam ejus, sed illud ut dent in tempore cibos, & ut abstineant (2) à percussionibus, & commotionibus. *Augustinus* ad *Hesychium* (ep. 80. in fin.) Hoc autem servo malo remoto, qui proculdubio domini sui odit adventum, constituiamus ante oculos tres servos bonos, adventum domini sui desiderantes. Si unus eorum citius, alter tardius dominum suum dicit esse venturum, tertius de hac re suam ignorantiam

constituetur. (3) Videamus tamen quis magis Evangelio consonet. (4) Unus dicit: Vigilemus, & oremus, quia citius venturus est Dominus. Alter dicit: Vigilemus, quia brevis, & incerta est vita ista, quamvis tardius venturus sit Dominus. Tertius dicit: Vigilemus, quia brevis, & incerta est vita ista, & nescimus (5) tempus quando venturus est Dominus. Quod autem aliud hic dicit quam quod cum audimus Evangelium dicere: *Vigilate, quia nescitis qua hora venturus sit Dominus?* Omnes quidem præ desiderio regni Dei, hoc volunt esse verum quod purat primus: (6) proinde si factum fuerit, gaudebit cum illo secundus, & tertius; si autem factum non fuerit, metuentium est ne inter ipsas moras perturbentur qui crediderant quod dixerat primus, & incipient Domini adventum non tardum putare, sed nullum. Qui autem credit quod dicit secundus, tardius Dominum esse venturum, si factum fuerit, nulli turbabuntur in fide, sed inopinato gaudio perfuerunt. Qui autem quid horum verum sit ignorare se constituit, illud optat, hoc tolerat, in nullo eorum errat, quia nil eorum aut affirmat, aut negat.

(1) *Al.* non solvat eos de hoc. (2) *Al.* à speculationibus. (3) *Al.* Videmus. (4) *Al.* unde dicit. (5) *Al.* omittitur tempus. (6) *Al.* deinde factum fuerit.

CAPUT XXV.

(a) Tunc simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso, & sponsa. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus, non sumserunt oleum secum; prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes, & dormierunt. Media autem nocte clamor factus est: ecce sponsum venit: exite obviam ei. Tunc surrexerunt omnes virginibus illæ, & ornaverunt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emitte vobis. Dum autem irent emere, venit sponsum, & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clausa est janua. Novissime vero veniunt & reliquæ virginibus, dicentes: Domine, domine, aperi nobis. At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.

(b) Sicut enim homo peregrinus proficiscens vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua; & uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum; unicuique secundum propriam virtutem; & profectus est statim. Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter, & qui duo acceperat, lucratus est alia duo. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui. Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum, & posuit rationem cum eis. Er accedens qui quinque talenta acceperat obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Ait illi dominus ejus: Euge serve bone, & fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constitui: intra in gaudium domini tui. Accersit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo superlucratus sum. *Thom. Op. Thom. VIII.*

tus sum. Ait illi dominus ejus: Euge serve bone, & fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium domini tui. Accedens autem & qui unum talentum acceperat ait: Domine, scio quia homo durus es: metis ubi non seminasti, & congregas ubi non sparsisti: & timens abii, & abscondi talentum tuum in terra. Ecce habes quod tuum est. Respondens autem dominus ejus, dixit ei: Serve male, & piger, sciebas quia meto ubi non semino, & congrego ubi non sparsi: oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis: & veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura. Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta. Omnia enim habenti dabitur, & abundavit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Et inutilem servum eiecit in tenebras exteriores: illic erit fletus, & stridor dentium.

(c) Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suae, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separavit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis. Et statuet oves quidem à dextris, hædos autem à sinistris. Tunc dicit Rex his qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare; sitivi, & dedistis mihi bibere; hospes eram, & collegistis me; nudus, & operulistis me; infirmus, & visitastis me; & venistis ad me. Tunc respondebunt ei justi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, & pavimus te; sitientem, & dedimus tibi potum? Quando autem te vidimus hospitem, & colligimus te; aut nudum, & cooperuimus te? Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? Et respondens Rex dicit illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tunc dicit & his qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare; sitivi, & non dedistis mihi potum; hospes eram, & non collegistis me; nudus, & non operulistis me; infirmus, & in carcere, & non visitastis me. Tunc respondebunt ei & ipsi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministravimus tibi? Tunc respondebit illis dicens: Amen dico vobis, quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.

(d) Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.

(a) **C**hrysostronus (hom. 79.) In superiori parabola Dominus penam ostendit ejus qui percutiebat, & inebriabatur, & bona domini sui dispergebat; in hac autem parabola punitionem inducit etiam ei qui utilitatem non affert, neque copiose hæc quibus indiget, sibi præparat: habebant enim fatuæ virgines oleum, sed non copiose: unde dicitur, *Tunc simile erit regnum caelorum decem virginibus.* Hilarius (can. 27.) Ideo autem dicitur, *Tunc*, quia de magno die Domini, de quo supra agebatur, omnis hic sermo est. Gregorius (hom. 12. in Evang.) Regnum autem caelorum præsentis temporis Ecclesia dicitur, sicut & ibi (supra 13.) *Mittet Filius hominis Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala.* Hieronymus (in princ. Com. ad cap. 25.) Similitudinem autem decem virginum fatuarum, atque prudentum quidam simpliciter interpretantur in virginibus, quarum alia, juxta Apostolum, & corpore, & mente sunt virgines, alia virginitatem tantum corporum reservantes, vel cetera opera non habent, vel parentum custodia reservante, nihilominus mente nupserunt. Sed mihi videtur

(1) *Al. deest quia.* (2) *Al. simile.*

ex superioribus alius esse sensus qui dicitur; & non ad virginalia corpora, sed ad omne hominum genus hanc comparisonem pertinere. Gregorius in hom. (12. in Evang.) In quinque enim corporis sensibus unusquisque subsistit geminatus, geminatus autem quinarium denarium perficit. Et quia ex utroque sexu fidelium multitudo colligitur, sancta Ecclesia decem virginibus similis denuntiat; ubi (1) quia mali cum bonis, reprobis cum electis admixti sunt, recte (2) similis virginibus prudentibus, & fatuis perhibetur. Chrysostronus in hom. 79. Ideo autem ponit parabolam hanc in virginum persona, ut ostendat quod licet virginitas magnum quoddam sit, tamen si ab operibus misericordiae sit deserta, cum adulteris foras eicietur. Origenes (tract. 32.) Vel sensus omnium, qui receperunt verbum Dei, virgines sunt. Tale enim est verbum Dei ut de sua munditia accomodet omnibus qui per suam doctrinam recesserunt ab idolorum cultura, accesserunt autem per Christum ad Dei culturam: unde sequitur: *Quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso, & dormierunt.* Accipiunt enim lampades suas, id est

organa sua naturalia, & egrediuntur de mundo, & de erroribus, & veniunt obviam Salvatori, qui semper paratus est venire, ut ingrediatur simul cum dignis ad beatam sponfam Ecclesiam. Hilarius (can. 27.) Vel sponsus atque sponsa, Dominus noster est in corpore Deus; namque spiritui caro sponsa est. Lampades autem quas acceperunt, animarum splendorum lumen est, quæ sacramento baptismi splenduerunt. Augustinus de Verbis Domini (serm. 22.) Vel lampades quæ manibus gestantur, opera sunt: dictum est enim supra 5. *Luceant opera vestra coram hominibus.* Gregorius (hom. 12. in Evang.) Qui autem recte credunt, & juste vivunt, assimilantur quinque prudentibus; qui autem proficentur quidem fidem Jesu, non autem præparant se bonis operibus ad salutem, reliquis quinque virginibus fatuis: unde subdit: *Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes.* Hieronymus (paulo à princ. Comm. ad cap. 25.) Sunt enim quinque sensus, qui festinant ad cælestia, & superna desiderant. De visu autem, & auditu, & tactu specialiter dictum est 1. Joann. 1. *Quod vidimus, quod audivimus, quod oculis nostris perspeximus, & manus nostræ palpaverunt.* De gustu Psalm. 33. *Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus.* De odoratu Cant. 1. *In odorem unguentorum tuorum currimus.* Alii autem sunt quinque sensus terrenis facibus inhiantes. Augustinus de Ver. Dom. (a) (serm. 22.) Vel per quinque virgines significatur quinquepartita continentia à carnis illecebris: contendendus est enim animi appetitus à voluptate oculorum, aurium, olfaciendi, gustandi, & tangendi. Sed quia ista continentia partim coram Deo fit, ut illi placeatur interiori gaudio conscientia, partim coram hominibus tantum, ut gloria humana capiatur; quinque dicuntur sapientes, & quinque stultæ: utraque tamen virgines, quia utraque continentia est, quamvis diverso fomite gaudet. Origenes (tract. 33.) Sicut autem sequuntur se ipsas invicem virtutes (1) ut qui unam habuerit, omnes habeat; sic & sensus omnes alterutrum se subsequuntur: propterea necesse est ut aut omnes quinque sensus sint prudentes, aut omnes fatui. Hilarius (can. 27.) Vel absolute in quinque prudentibus, & quinque fatuis, fidelium atque infidelium est constituta divisio. Gre-

gorius (hom. 12. ut supra.) Notandum vero est, quod omnes lampades habent, sed non omnes oleum habent: sequitur enim: *Sed quinque fatuæ, acceperunt lampades, non sumpserunt oleum secum; prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.* Hilarius (can. 27.) Oleum, boni operis fructus est; vasa, humana sunt corpora, intra quorum viscera thesaurus bonæ conscientia reconduendus est. Hieronymus (hoc loco.) Oleum ergo habent virgines quæ juxta fidem operibus adornantur; non habent oleum quæ videntur simili quidem fide confiteri, sed virtutum opera negligunt. Augustinus de Ver. Domini (b) (serm. 22.) Vel per oleum ipsam lætitiæ significari arbitror, secundum illud Psalm. 44. *Unxit te Deus tuus oleo exultationis.* Qui ergo non propterea gaudet, quia Deo intrinsecus placet, non habet oleum secum; gaudium enim non habent, (2) dum continenter vivunt, nisi in laudibus hominum. Prudentes autem acceperunt oleum cum lampadibus, id est lætitiæ bonorum operum, in vasis suis, id est in corde, atque conscientia posuerunt, sicut Apostolus monet Gal. 6. *Probet autem seipsum homo; & tunc gloriam habebit in seipso, & non in altero.* Chrysostronus (in hom. 79.) Vel oleum hic vocat caritatem, & eleemosynam, & quodcumque circa indigentes auxilium lampades autem vocat virginitatis (3) charismata: (4) propter hoc stultas eas vocat, quoniam majorem sustinentes laborem, propter minorem omnia perdidit: majori enim labore vincitur carnis cupidum, quam pecuniarum. Origenes (tract. 32.) Vel oleum est verbum doctrinæ, quo vasa animarum implentur: nihil enim sic confortat sicut moralis sermo, qui oleum luminis appellatur. Prudentes ergo acceperunt hujusmodi oleum, quod satis sit eis, etiam tardante exitu, & morante verbo venire ad consummationem eorum; fatuæ autem acceperunt lampades, in primis quidem accensas; sed tantum oleum non acceperunt ut eis sufficeret usque ad finem; negligentes circa susceptionem doctrinæ, quæ confortat fidem, & bonorum actuum lumen illuminat: unde sequitur: *Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes, & dormierunt.* Augustinus de Ver. Dom. (serm. 22.) Ex utroque enim genere hominum moriuntur hoc intervallo temporis, donec sub adventu Domini fiat resurrectio

(1) *Al. & qui.* (2) *Al. dum incontinenter vivunt. Nicolai dum continenter non vivit.*

(2) *Al. charisma.* (4) *Al. propter hoc quod.*

EX EDIT. P. NICOL. (a) Immo potius lib. 83. Qq. quæst. 59. quamvis & pro sermone 22. de Verbis Domini questio ista tunc notaretur, & nunc etiam indicetur eadem esse, immo & in edit. Basileensi expressè habeatur inter sermones illos. (b) Sive, ut supra notatum est, lib. 83. Qq. quæst. 59. quod pro his quoque qui proxime sequuntur indicibus intelligendum.

tio mortuorum. *Gregorius* (hom. 12. in Evang.) Dormire etenim, mori est; ante somnum vero dormire, est ante mortem à salute languescere: quia per pondus agnitio pervenit da somnum moris. *Hieronymus* (super *Moram autem faciente*.) Vel dormitaverunt; idest, mortuæ sunt. Consequenter autem dicitur: *Dormierunt*, quia postea fuscitanda sunt. Per hoc autem quod dicitur: *Moram autem faciente sponso*, ostendit quod non parum temporis inter priorem, & secundum Domini adventum prætergreditur. *Origenes* (tract. 32.) Vel sponso tardante, & non cito veniente Verbo ad consummationem vitæ, patienter aliquid sensus dormientes, & quasi in nocte mundi agentes: & dormierunt, ut puta remissius agentes à sensu illo vitali; non tamen lampades perdidit, neque desperaverunt de conservatione olei illæ prudentes: unde sequitur: *Media autem nocte clamor factus est: ecce sponsus venit: exite obviam ei.* *Hieronymus* (super *Media autem nocte*.) Traditio Judæorum est, Christum media nocte venturum in similitudinem (1) Ægyptii temporis, quando Pascha celebratum est, & exterminator venit, & Dominus super tabernacula transit, & sanguine agni postes nobilitarum frontium consecrati sunt: unde reor, & traditionem apostolicam permanisse, ut die vigiliarum Paschæ ante noctis dimidium, populum dimittere non liceat, expectantes Christi adventum: postquam illud tempus transierit, securitate præsumpta festum cuncti agant diem: unde Psalmista dicebat Psalm. 118. 4. Media nocte surgebam ad confitendum tibi. *Augustinus* de Ver. Dom. (serm. 22.) Vel media nocte, idest nullo sciente, aut sperante. *Hieronymus*. Subito ergo quasi intempesta nocte, & securis omnibus, quando gravissimus sopor est, per Angelorum clamorem, & tubas præcedentium fortitudinem, Christi resonabit adventus: quod significatur cum dicitur: *Ecce sponsus venit: exite obviam ei.* *Hilarius* (can. 27.) Tuba enim excitante, (2) sponso tantum obviam proceditur: erunt enim jam ambo unum, idest caro, & Deus, quia in Gloriam spirituales humilitas carnis transformata (3) est. *Augustinus* de Ver. Dom. (serm. 22.) Vel quod dicit, sponso tantum obviam venire virgines, sic intelligendum puto ut ex ipsis virginibus constet ea quæ dicitur sponso; tamquam si omnibus Christianis in Ecclesia concurrentibus filii ad matrem currere di-

(1) *Al.* Ægyptiis, item Ægyptii, omittendo temporis. (2) *Apud P.* Nicolajum est Sponso tantum obviam procedit. (3) *Al.* erat P. Nicolai habet erit. (4) *Idem ex Augustino* reponit illo autem tempore nubet quo, univèrsa mortalitate in ea pereunte, immortalis conjunctione fruatur. (5) *Al.* atque erectis: item omittitur utrumque. (6) *Al.* Gregorius hom. 12. in Evang. sic etiam habet P. Nicolai. Ex *EDR.* P. Nicolai, (a) *Hieronymus*. Ejus nomine prætermisso, prius ista confundebantur cum Augustini verbis.

te lucere; & tamen non habent lumen indeficiens, nec opera perpetua. Si quis igitur habet animum virginalem, & amator est pudicitiae, non debet mediocriter esse contentus his quæ cito exarscunt, & orto calore arseunt; sed perfectas virtutes sequatur, ut lumen habeat sempiternum. *Chrysoströmus* (in hom. 79.) (1) Vel aliter. Non solum hæc virgines fultæ erunt, quoniam hinc recesserunt misericordia carentes, sed quia æstimabant ibi se accepturas ubi importune quaesierunt. Quamvis autem illis virginibus prudentibus nihil misericordius sit, quæ propter misericordiam maxime fuerunt approbata; non tamen fultæ virgines sua petitione positæ sunt. Sequitur: *Responderunt prudentes dicentes: Ne forte non sufficiat nobis, & vobis.* Hinc autem discimus quod nullus nostrum (2) adire poterit nisi operibus cum quibus inventi erimus. *Hieronymus* (super *Responderunt prudentes dicentes*.) Non enim hoc virgines prudentes de avaritia, sed de timore respondent: unde quisque pro suis operibus mercedem accipiet; neque possunt in die iudicii aliorum virtutes, aliorum vitia sublevare. Dant autem prudentes consilium, ut non debeant sine oleo lampadarum sponso occurrere; & hoc est quod sequitur: *Ita potius ad vendentes, & emite vobis.* *Hilarius* (can. 27.) Vendentes hi sunt qui misericordia fidelium indigentes, reddunt ex se perita (3) commercia indigentie, sua satietate boni operis nostri conscientiam venundantes. Hæc est enim indefessi luminis copiosa materia, quæ misericordiam fructibus, & emenda est, & recondenda. *Chrysoströmus* (in hom. 79.) Vides ergo quantum nobis sit à pauperibus negotiatio; pauperes autem non sunt ibi, sed hic; ideoque hic oleum congregare oportet, ut illic utile sit, (4) cum tempus non vocet. *Hieronymus* (super *Ita potius*.) Venditur etiam hoc oleum, & multo emitur pretio, ac difficili labore conquiritur; quod non solum in elemosynis, sed in cunctis virtutibus, & consiliis intelligentis magistrorum. *Origenes* (tract. 32.) Vel aliter. Esti fatuas erant, tamen hoc intelligebant quoniam cum lumine debebant obviam ire sponso, omnes lampades sensuum habentes illuminatas. Videbant autem & illud, quoniam ex eo quod minus habebant oleum rationale, jam propinquantes tenebris, lampades earum fuerant obscuranda. Sed sapientes transmittunt fatuas ad olei venditores, videntes quoniam non tantum oleum, idest verbum doctrinæ, congregaverant ut sufficeret ipsis ad vitam, & illas docerent: unde dicunt: *Ita potius ad vendentes, idest ad doctores, & emite vobis;*

S. Thom. Op. Tom. VIII. (1) *Al.* desit. (2) *P. Nicolajus* ponit adjuvari. (3) *Al.* commerta indigentie sunt, satietate boni operis nostri, &c. (4) *P. Nicolajus* habet cum Christus nos vocet. (5) *Al.* desit. ubi.

idest, ab eis accipite: & pretium est perseverantia, & amor discendi, & diligentia, & labor cupientium discere. *Augustinus* de Ver. Dom. (serm. 22.) Vel non sunt putanda dedisse consilium; sed crimen earum ex obliquo commemorasse. Vendunt enim adiutores oleum, qui sive falsa, sive ignorata laudando, animas in errores mittunt, & eis vana gaudia tamquam fatuis consiliando, aliquam de his mercedem commodi temporalis accipiunt. Dicitur ergo: *Ita ad vendentes, & emite vobis;* idest, videamus nunc quid vos adjuvent qui vobis laudes vendere consueverunt. Dicunt autem: *Ne forte non sufficiat nobis, & vobis:* quia alieno testimonio non juvatur quisquam apud Deum, cui secreta cordis apparent, & vix quisque sibi sufficit cui testimonium perhibeat conscientia sua. *Hieronymus* (super illud, *Dum autem irent emere*.) Verum quia jam emendi tempus exceperat, & adveniente iudicii die locus non erat poenitentiae, non nova patrare opera, sed præteritorum rationem coguntur exolvere: unde sequitur: *Cum autem irent emere, venit sponso, & qua parata erant intraverunt cum eo ad nuptias, Hilarius* (can. 27.) Nuptiæ autem, immortalitatis assumptio est, & inter corruptionem atque incorruptionem ex nova societate conjunctio. *Chrysoströmus* (in hom. 79.) Per hoc autem quod dicit: *Dum irent emere*, ostendit quia etsi misericordes efficiamur post mortem, nihil hinc lucrabimur ad efficiendum; sicut nec diviti profuit quod factus est misericors, & sollicitus circa eos qui sibi attinebant. *Origenes* (tract. 32 in Math.) Vel dicit: *Dum irent emere:* est enim invenire quosdam qui quando debuerunt, neglexerunt aliquid utile discere, in ipso autem exitu vitæ suæ, dum disponent discere, comprehenduntur a morte. *Augustinus* de Ver. Dom. (serm. 22.) Vel aliter. Euntibus illis emere, idest incessantibus se in ea quæ foris sunt, & solitis gaudere querentibus, quia gaudia interna non noverant, venit ille qui iudicat; & qua parata erant, idest quibus coram Deo conscientia testimonium perhibebat, intraverunt cum eo ad nuptias; idest, (5) ubi munda anima, puro, ac perfecto Dei Verbo secunda copulatur. *Hieronymus* (super *Et qua parata erant*.) Post iudicii autem diem bonorum operum, & iustitiæ occasio non relinquitur: unde sequitur: *Et clausa est janua.* *Augustinus* de Ver. Dom. (serm. 22. inter med. & fin.) Receptis enim illis qui sunt in angelicam vitam commutati, clauditur aditus ad Regna Cælorum: non enim post iudicium patet precium, ac meritum locus. *Hilarius* (can. 27. circa med.) Et tamen

cum jam poenitentiae nullum est tempus, fatuae occurrunt, aperiri sibi auditum rogant: unde sequitur: *Novissime autem veniunt, & reliquae virgines dicentes: Domine, Domine aperis nobis. Hieronymus* (super his verbis.) Egregia in Domini appellatione confessio (1) indicium fidei est. Sed quid prodest voce invocare quem operibus neges? (a) *Gregorius* (hom. 22.) Dolore autem repulsionis compulsae appellationem ingeminatur dominationis, invocando patrem, cuius in vita sua misericordiam contempserunt. *Augustinus* de Ver. Dom. (serm. 22.) Non autem dictum est, quod emerunt oleum; & ideo intelligendae sunt, nullo jam remanente de alienis laudibus gaudio, in angustiis, & magnis afflictionibus redire ad implorationem Dei. Sed magna ejus est severitas post iudicium, cuius ante iudicium ineffabilis misericordia praerogata est: propter quod sequitur: *At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos, ex illa scilicet regula, quia non habet ars Dei, id est ejus sapientia, ut intrent in gaudium ejus qui non coram Deo, sed ut placeant hominibus, conati sunt aliquid secundum praecepta ejus operari. Hieronymus* (super *Amen dico vobis, nescio vos.*) „Novit enim Dominus eos qui sunt ejus: 2. Tim. 2. & qui ignorat ignorabitur: & licet virgines sint, vel corporis puritate, vel verae fidei confessione; tamen quia oleum non habent, ignorantur a sponsio. Ex hoc autem quod infert: *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam, intelligit universa quae dicta sunt esse praemissa, ut quia ignoramus iudicii diem, sollicito nobis lumen bonorum operum praeparemus. Augustinus* de Ver. Dom. (serm. 22. paul. ante finem.) Non autem solum illius futuri temporis, quo venturus est sponsus, sed suae quisque dormitionis diem, & horam nescit; ad quam quisquis paratus est, etiam paratus invenitur cum illa vox sonaverit quia omnes evigilaturi sunt. *Augustinus* ad Hefychium (epist. 80.) Non defuerunt autem qui docere voluerunt, has quinque, & quinque virgines ad hunc ejus adventum qui nunc fit per Ecclesiam, pertinere; sed haec non sunt temere pollicenda, ne aliquid occurrat quod valide contradicat.

(b) *Glossa.* (b) In praecedenti parabola demonstrata est eorum condemnatio qui oleum sibi sufficienter non praeparaverant; sive per oleum nitor operum, sive gaudium conscientiae, sive elemosyna, quae (2) est per pecuniam, intel-

(1) *Legit P. Nicolai* idemque repensum indicium fidei est. (2) *Al. omittit* est. (3) *Al. per spem.* (4) *Al. hom. 59. in op. imp. P. Nicolai autem omittit.*

Ex edit. P. Nicol. (a) *Glossa.* Interlinealis quoad priorem partem; sed posterior est Anselmi. (b) Nec in Glossa quae nunc extat, nec in Anselmo est, qui substitui pro illa solet, nec alibi occurrat; sed pars ejus insinuat a Chryostomo hom. 79. in Matth. 23. ubi non dicitur inod. 23. 23.

ligatur. Haec autem parabola inducitur contra eos qui non solum pecuniis, sed nec verbo, nec alio modo prodesse proximis volunt, sed omnia occultant: unde dicit: *Sicut enim homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. Gregorius* (hom. 9. in Evangel.) Homo autem iste qui peregre proficiscitur, Redemptor noster est, qui in ea carne quam assumpserat, abiit in Coelum. Carnis enim locus proprius terra est, quae quasi ad peregrinandum ducitur, cum per Redemptorem nostrum in Caelo collocatur. *Origenes* (tract. 33.) Secundum enim divinitatis suae naturam non peregrinatur, sed secundum dispensationem corporis quod suscepit. Qui enim dicit discipulis suis (infra alt.) *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.* Unigenitus Dei est, qui non est corporeo habitu circumclusus. Hoc autem dicentes non solvimus Jesum; sed unicuique substantiae proprietatem ejus salvamus. Possimus & talia dicere, quod peregrinatur Dominus per fidem ambulantes, & non (3) per speciem. Si autem peregrinantes a corpore cum Domino fuerimus, tunc & ipse erit nobiscum. Simul etiam considera, quod non videtur redditio sermonis ita conscripta: Sicut homo peregrinans, ita ego, aut Filius hominis: quoniam ipse est qui in parabola proponitur peregrinans quasi homo, non sicut Filius Dei. *Hieronymus.* Vocatis autem Apostolis, doctrinam eis Evangeliorum tradidit, non quasi pro largitate, & parcitate, alteri plus, & alteri minus tribuens, sed pro accipientium viribus; quomodo & Apostolus eos qui solidum cibum capere non poterant, lacte potasse se dicit: unde sequitur: *Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem. Chryostomus* (4) (hom. 79.) In quinque, & duobus, & uno talento diversas gratias intelligimus, quae unicuique traditae sunt. *Origenes* (tract. 33. in Matth.) Si quando enim videris eorum qui acceperunt a Christo dispensationem eloquiorum Dei, alios quidem habere amplius, alios autem minus, & ut ita dicam, neque in dimidio intelligentes rerum negotia comparatione meliorum; alios autem adhuc minus habere: videbis differentias eorum qui eloquia Domini susceperunt a Christo: quoniam alia fuit virtus eorum quibus data sunt quinque talenta, alia quibus duo, alia quibus unum; & alter alterius non capiebat mensuram; & qui accepit talentum unum, accepit

pit quidem datum non contemptibile: multum est enim, & unum talentum talis domini. Tamen tres sunt proprii servi; sicut tria sunt genera eorum qui fructum faciunt: & quinque quidem accepit talenta qui omnia sensibilia Scripturarum potest adducere ad sensus divinos; duo autem qui est corporalem doctrinam edoctus: duo enim videtur carnalis numerus esse; sed adhuc minus potenti unum talentum paterfamilias dedit. *Gregorius* (hom. 9. ut supra.) Vel aliter. Quinque talentis dona quinque sensuum, id est exteriorum scientia exprimitur; duobus vero intellectus, & operatio designatur; unius autem talenti nomine, intellectus tantum designatur. *Origenes* (tract. 33.) Sequitur: *Et profectus est statim. Glossa* (ordinaria) Non locum mutans, sed liberam eis operandi potestatem permittens, & suo arbitrio relinquens, nobis vultus servit. *Idem* Sequitur: *Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Hieronymus* (super hoc verbo.) Accepit enim terrenis sensibus, caelestium sibi notitiam duplicavit, ex creaturis intelligens creatorem, ex corporalibus incorporalia, ex brevibus sempiterna. *Gregorius* (hom. 9. in Evang.) Sunt etiam nonnulli qui, etsi interna, ac mystica penetrare nesciunt, pro intentione tamen supernae patriae docent recta quae possunt de ipsis exterioribus quae acceperunt; dumque se a carnis petulantia, a terrenarum rerum ambitu, atque a visibilibus voluptate custodiunt, ab his etiam alios admonendo compescunt. *Origenes* (tract. 23.) Vel qui habent sensus exercitatos, conversati salubriter, & ad majorem scientiam seipso erigentes, & studiose docentes, lucrati sunt alia quinque: quia nemo facile additamentum accipit virtutis alterius, nisi ejus quam habet, & quanta ipsa scit, tanta alterum docet, & non amplius. *Hilarius* (can. 27.) Vel servus ille qui quinque talenta accepit, populus ex lege credentium est; ex qua profectus meritum ipsius recte impleta evangelicae fidei operatione duplicavit. *Origenes* (tract. 33.) Sequitur: *Similiter et qui duo acceperat, lucratus est alia duo. Gregorius* (hom. 9. ut supra.) Sunt enim nonnulli qui dum intelligendo, & operando aliis praedicant, quasi duplicatum de negotio lucrum reportant: quia dum utriusque sexu praedicatio impenditur, quasi accepta talenta geminantur. *Origenes* (tract. 33.) Vel lucrati sunt alia duo, id est corporalem (2) eruditionem, & aliam paulo sublimiorem. *Hilarius* (can. 27.) Vel ille servus cui duo talenta commissa sunt, Gentium populus est, fide, atque

confessione, & Filii justificatus, & Patris; Dominum nostrum Jesum Christum Deum, atque hominem ex spiritu, & carne (3) confessus. Haec ergo huic sunt duo talenta commissa. Sed ut populus Judaeorum omne sacramentum quod (4) in quinque talentis, id est in lege, cognoverat, id ipsum fide Evangelii duplicavit; ita iste incremento duorum talentorum, intellectum, atque operationem promeruit.

Sequitur: *Qui autem unum acceperat, abiit in terra, & abscondit pecuniam domini sui. Gregorius* (hom. 9. ut supra.) Talentum quippe in terra abscondere, est acceptum ingenium in terrenis actibus implicare. *Origenes* (tract. 33.) Vel aliter. Si quando videris aliquem qui virtutem habet docendi, & animabus proficiendi, & hanc virtutem occultat, quamvis habeat quandam religionem conversationis, & non dubites dicere talem esse qui accipit unum talentum, & abscondit ipsum in terra. *Hilarius* (can. 27.) Vel iste servus, qui unum talentum accepit, & in terra recondidit, populus est in lege perstitens, qui propter invidiam salvandarum Gentium, in terra acceptum talentum abscondit: in terra enim talentum abscondere, est novae praedicationis gloriam sub obstructione corporeae passionis occultare. Sequitur: *Post multum vero temporis venit Dominus servorum illorum, & posuit rationem cum eis.* In ratione autem ponenda iudicii examen est. *Origenes* (tract. 33.) Et observa in hoc loco, quoniam non servidat dominum vadunt, ut judicentur; sed dominus venit ad eos, cum tempus fuerit impletum; de quo dicit: *Post multum vero temporis, id est, postquam dimisit aptos ad negotiandum animarum salutem; & ideo forsitan non facile invenitur quis ex eis qui apti fuerint ad hujusmodi opus, ut cito transeat de hac vita, sicut est manifestum ex eo quod & Apostoli tenuerunt; ex quibus dicitur ad Petrum (Joann. 21.) „Cum senueris, extends manus tuas:“ de Paulo autem dictum est ad Philemonem: „Nunc autem ut Paulus senex.“ *Chryostomus.* (in hom. 79.) Vide & Dominum ubique non confestim expectentem rationem, ut discas ejus longanimitatem. Mihi autem videtur quod resurrectionem occulte insinuans, hoc dicit. *Hieronymus.* Ideo ergo dicit: *Post multum temporis, quia grande tempus est inter ascensionem Salvatoris, & secundum ejus adventum. Gregorius* (hom. 9. in Evang.) Haec autem lectio hujus Evangelii considerate nos admonet, ne qui plus ceteris in hoc mundo accepisse aliquid cernuntur, ab auctore mundi gravius judicentur; cum enim augentur dona, rationes*

(1) *Al. salutariter.* (2) *Al. editionem.* (3) *Al. confessus est.* (4) *Al. deest in.* (5)

etiam crescent donorum. Tanto ergo humilior quisque debet esse ex munere, quanto se obligatorem esse conspicit in reddenda ratione. *Origenes* (tract. 33.) Fiducia autem fecit eum qui quinque talenta acceperat, audere ut ad dominum prius accederet; sequitur enim: *Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratum sum.* *Gregorius* (hom. 9. ut supra.) Servus ergo qui geminata talenta retulit, laudatur à Domino, & ad æternam remunerationem perducitur: unde subditur: *Ait illi dominus, Euge. Rabbanus. Bugæ interjectio est lætantis; per quod gaudium suum Dominus insinuat, qui bene laborantem servum ad gaudium æternum invitat; de quo Propheta ait Psalm. 15. „Lætificabis nos in gaudio cum vultu tuo.* *Chrysostomus* (in hom. 79.) *Serve bene*, quia de bono loquitur, quod est ad proximum, & *fidelis*, quia nihil eorum quæ sunt Domini sibi appropriavit. *Hieronymus* (super *Ait illi dominus*.) Dicit autem: *Super pauca fuisse fidelis*, quia omnia quæ in præsentia habemus, licet magna videantur, & plurima, tamen comparatione futurorum parva, & pauca sunt. *Gregorius* (hom. 9. in Evang.) Sed tunc fidelis servus supra multa constituitur, quando, devicta omnis corruptionis molesta, de æternis gaudiis in illa cælesti sede gloriatur. Tunc etiam ad Domini sui gaudium perfecte intronititur, quando in æterna illa patria assumptus, atque Angelorum cætibz admixtus, sic interius gaudet de munere ut non sit quod exterius doleat jam de corruptione. *Hieronymus* (loco cit.) Quid autem potest majus dari fideli servo quam esse cum domino, & videre gaudium domini sui? *Chrysostomus* (in hom. 29.) Per hoc enim verbum omnem beatitudinem ostendit. *Augustinus* 1. de Trin. (cap. 10.) Hoc enim erit plenum gaudium nostrum, quo amplius non est, frui Deo Trinitate, ad cuius imaginem facti sumus. *Hieronymus* (super *Homo peregre proficiscens*.) Utrique autem servo, & qui de quinque talentis decem fecerat, & qui de duobus quatuor, idem patrisfamilias sermo blanditur; utrumque etiam simili recipit gaudium, non considerans lucri magnitudinem, sed studii voluntatem: unde sequitur: *Accesit autem & qui duo talenta acceperat.* *Origenes* (tract. 33.) Quod autem dicit vel in eo qui quinque talenta acceperat, vel in isto qui duo, *Accedens*, intellige accessum transitum de hoc mundo ad illum: & vide quoniam eadem dicta sunt ambobus, ne forte & qui minorem habuit virtutem, & totam illam quam habuit, secundum quod oportebat, exercuit, nihil mi-

nus habiturus sit apud Deum quam ille qui fuerit in majori virtute: hoc enim solum quaeritur, ut quicquid habuerit homo ex Deo, toto eo utatur ad gloriam Dei. *Gregorius* (hom. 9. in Evang.) Servus autem qui operari de talento noluit, ad dominum cum verbis excusationis reddit: unde subditur: *Accedens autem & qui unum talentum acceperat ait: Domine, scio quia homo durus es.* *Hieronymus* (super *Accedens autem*.) Vere enim hoc quod scriptum est Psalm. 140. „Ad excusandas excusationes in peccatis, „etiam huic servo contigit, ut ad pigritiam, & negligentiam, superbiam quoque crimen accederet. Qui enim debuit simpliciter inertiam confiteri, & orare patremfamilias, & converso calumniatur, & dicit se prudenti fecisse consilio, ne dum lucra pecunia quaereret, (1) etiam de sorte periclitaretur. *Origenes* (tract. 33.) Videtur enim mihi iste servus fuisse inter credentes quidem, non autem fiducialiter agentes, sed latere volentes, & omnia facientes ut non cognoscantur quasi Christiani. Adhuc videtur mihi qui huiusmodi sunt timorem Dei habere, & sapere de eo quasi de aliquo austero, & implacabili: hoc enim significat cum dicit: *Domine, scio quia homo durus es.* Intelligimus autem, quod vere Dominus noster metit ubi non seminavit, quoniam justus seminat in spiritu, ex quo metet vitam æternam. Metit etiam ubi non seminat, & congregat ubi non spargit; quia sibi computat esse collara quæcumque in pauperibus fuerint seminata. *Hieronymus* (super *Respondens Dominus dixit*.) Ex eo etiam quod hic servus ausus est dicere: *Metis ubi non seminasti*, intelligimus etiam Gentilium, & Philosophorum bonam vitam recipere Dominum. *Gregorius* (hom. 9. in Evang.) Sunt autem plerique intra Ecclesiam, quorum iste servus imaginem tenet, qui melioris vitæ vias aggredi metuunt; & tamen jacere in sui corporis ignavia non pertimescunt; cumque se peccatores considerant, sanctitatis vias (2) arripere trepidant, & remanere in suis iniquitatibus non formidant. *Hilarius* (can. 27.) Vel per hanc servum intelligitur populus Judæorum in lege persistens, qui dicit, Timui te; tamquam metu veterum præceptorum ab usu evangelicæ libertatis abstinere, dicatque, *Ecce quod tuum est*, vel ut in his quæ à Domino præcepta sunt fuerit immoratus; cum tamen sciverit, metendos illic justitiæ fructus ubi lex facta non sit, & colligendos ex Gentibus qui non ex Abraham sint stirpe dispersi. *Hieronymus* (loco cit.) Sed quod putaverat se pro excusatione dixisse, in culpam propriam vertitur: unde sequitur: *Respondens autem dominus eius dixit ei:*

Ser-

(1) Al. etiam forte periclitaretur. (2) Al. accipere.

Serve male, & piger, sciebas quia meto ubi non semino. Servus autem malus appellatur, quia calumniam domino fecit; piger, quia talentum noluit duplicare: ut in altero superbiam, in altero negligentiam condemnetur. Si, inquit, durum & crudelem me noveras, & aliena sectari; tu scires me mea diligentiam quaeriturum, & dare pecuniam meam, sive argentum nummularis: utrumque enim *argyrium* Græcus sermo significat. „Eloquia (inquit Psalm. 11.) Domini, „ni, eloquia casta, argentum igne examinatum.“ Pecunia ergo, & argentum, prædicatione Evangelii, & sermo divinus est; qui dari debuit nummularis, id est vel cæteris doctoribus, quod fecerunt Apostoli, per singulas provincias Presbyteros, & Episcopos ordinantes; vel cunctis credentibus, qui possunt pecuniam duplicare, & cum usuris reddere, ut quicquid sermone didicerant, opere expererent. *Gregorius* (hom. 9. in Evang.) Sicut ergo periculum doctorum aspiciunt, si dominicam pecuniam teneant, ita & auditorum; quia cum usuris ab eis exigitur quod audierunt, ut scilicet ex eo quod audiunt, etiam studeant intelligere non audita. *Origenes* (tract. 33.) Non autem confessus est Dominus se esse durum, sicut ille arbitrabatur; cæteris autem ejus sermonibus concessit. Sed vere durus est his qui misericordia Dei abutuntur ad negligentiam suam, non ad conversionem. *Gregorius* (hom. 9. in Evang.) Pigerum vero servum quia sententia Dominus feriat, audiamus. *Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta.* *Origenes* (tract. 33.) Potest quidem Dominus suæ divinitatis virtute auferre sufficientiam ab eo qui pigrius est ea usus, & dare ei qui eam multiplicavit. *Gregorius* (ibidem.) Opportunum autem videbatur ut ei potius qui duo quam qui quinque talenta acceperat daretur: illi enim dari debuit qui minus habebat. Sed cum per quinque talenta exteriorum scientia designetur, per duo autem intellectus, & operatio; plus habuit qui duo quam qui quinque talenta acceperat: quia qui per talenta quinque exteriorum administrationem meruit, ab intellectu æternorum adhuc vacuum fuit. Unum ergo talentum, per quod intellectum significari diximus, illi dari debuit qui bene exteriora quæ acceperat, ministravit: quod quotidie in Sancta Ecclesia cernimus; ut etiam interna intelligentia polleant qui exteriora fideliter administrant. *Hieronymus* (ubi supra.) Vel datur ei qui decem talenta fecerat, ut intelligamus, licet æquale sit domini gaudium in utriusque labore, ejus scilicet qui quinque, & qui duo duplicavit, tamen

S. Thom. Oper. Tom. VIII.

(1) Al. & fuerint. (2) Al. abusus. (3) In editione Herbipolensi ex recensione P. Nicolai omittitur sequens index, & appendix Gregorii. (4) Al. & quasi.

majus debere præmium ei qui plus in domini pecunia laboravit. *Gregorius* (ubi supra inter med. & fin.) Generalis etiam mox sententia subditur, qua dicitur: *Omni enim habenti dabitur, & abundabit, ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.* Quisquis autem caritatem habet, alia etiam dona percipit; quisquis autem caritatem non habet etiam dona quæ percepisse videbatur, amittit. *Chrysostomus* (in hom. 79.) Qui etiam gratiam sermonis, & doctrinæ ad proficiendum habet, non utens ea, gratiam perdit; qui autem studium adhibet, amplius attrahit donum. *Hieronymus* (super *Omni habenti dabitur*.) Multi etiam cum sint sapientes naturaliter, & habeant acumen ingenii; (1) si fuerint negligentes, & desidia bonum naturæ corrumpunt; ad comparationem ejus qui paululum tardior labore, & industria compensavit quod minus habuit, perdunt bonum naturæ, & præmium quod eis fuerat repositum, vident transire ad alios. Potest etiam sic intelligi. Ei qui fidem habet, & bonam in Domino voluntatem, etiam si quid minus, ut homo, in opere habuerit, dabitur à bono iudice; qui autem fidem non habuerit, etiam cæteras virtutes quas videbatur naturaliter possidere, perdet. Et eleganter inquit: *Quod videtur habere, auferetur ab eo*; quicquid enim sine fide Christi est, non ei debet imputari qui male eo (2) usus est, sed illi qui etiam male servo naturæ bonum tribuit. (3) *Gregorius* (hom. 9. in Evang.) Vel quisquis caritatem non habet, etiam ea quæ percepisse videbatur, amittit. *Hilarius* (can. 27. in Matth. in fine.) Habentibus etiam usum Evangeliorum, & legis honor redditur; non habenti autem fidem Christi, etiam quod ex lege sibi esse videbatur honoris auferetur. *Chrysostomus* (in hom. 79. par. à med.) Servus autem malus non solum damno punitur, sed etiam intolerabili pœna, & cum pœna accusabili denuntiatione: unde sequitur: *Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores.* *Origenes* (tract. 33. in Matth. circ. fin.) Ubi scilicet nulla illuminatio est, forsitan nec corporalis; nec est respectio Dei illic, sed quasi indignis speculatione Dei, qui talia peccaverunt, condemnantur in his quæ exteriores tenebræ appellantur. Legimus etiam aliquem ante nos exponentem de tenebris abyssi quæ est extra mundum, (4) ut quasi indigni toto mundo in abyssum illam foras ejiciantur, in qua sunt tenebræ, nemine eas illuminante. *Gregorius* (hom. 9. in Evang.) Et sic per pœnam in tenebras exteriores cadet qui per suam culpam sponte in interiores tenebras decidit. *Hieronymus*

D 5

(su-

(super illud; *Et inutilem seruum eijcete.*) Quid autem sit fletus, & stridor dentium, supra diximus. *Chrysofomus* (in hom. 79.) Vide autem quia non solum qui rapit aliena, aut qui mala operatur, punitur ultima pœna, sed etiam qui bona non facit. *Gregorius* (hom. 9. in Evang.) Habens igitur intellectum cūter omnino ne taceat; habens rerum affluentiam, à misericordia non torpescat; habens autem qua regitur, ultum illius cum proximo partiat; habens loquendi locum, apud divitem pro pauperibus intercedat. (a) Talenti enim nomine cuiuslibet reputabitur quod vel minimum acceperit. *Origenes* (tract. 33. par. ante med.) Si autem dupliciter tibi quod dicitur, si propter quod non docuit, quis iudicatur, recordare illud Apostoli 2. Cor. 9. „ Væ mihi est, si non evangelizavero.

(c) *Rabbanus*. Post parabolas de fine mundi, jam exequitur Dominus modum futuri iudicii. *Chrysofomus* (in hom. 80.) Est autem hæc pars delectabilissima; quam continue in animo verentes, cum studio audiamus, & omni compunctione: nam & ipse Christus terribilis, & lucidus hunc pertractat sermonem. Idcirco non dicit de cætero: *Simile factum est Regnum Cælorum; sed revelate seipsum ostendit dicens: Cum autem venerit Filius hominis in maiestate sua. Hieronymus* (super *Cum autem venerit Filius.*) Post bidentium quidem pascha facturus, & tradendus cruci, & illudendus ab hominibus, recte promittit gloriam triumphantis, ut secutura scandala pollicitationis præmio compensaret. Et notandum, quod qui in maiestate cernendus est, Filius hominis fit. *Augustinus* super Joannem (tract. 21.) In forma humana videbunt eum impii, videbunt & ad dexteram positi: in iudicio enim apparebit in forma quam ex nobis accepit; sed postea futurum est ut videatur in forma Dei, quam (1) sciunt omnes fideles. *Remigius* destruitur autem his verbis illorum error qui dixerunt, Dominum non in eadem forma servi manere. Maiestatem autem appellat divinitatem, qua æqualis est Patri, & Spiritui Sancto. *Origenes* (tract. 34.) Vel quia cum gloria huc revertetur, ut corpus ejus sit quale fuit cum transfuratus fuit in monte. Sedes autem ejus aut quidam perfectiores sanctorum dicuntur, de quibus scriptum est Psalm. 121. „ Quoniam illic sederunt sedes in iudicio, aut quædam vir-

(1) P. Nicolai legit sicutiunt.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Hæc appendix in Gregorio præmittitur priori; sequens autem ex Origene paulo plenius apud illum habetur in hunc mundam: *Si propter illud quod scriptum est eum talem mitti in tenebras exteriores, d' splendet quod dicitur, si propterea quod non docuit quis iudicatur, id est aliquis; quasi, qui data sibi virtute ad animarum profectum non est usus, recordare Apostoli dictum, &c.* (b) Scilicet lib. 50. homil. hom. 50. quam de penitentia Beda inscribit, ut in 1. Cor. 5. & alibi etiam videre est; sed nunc de necessitate, atque utilitate penitentia inscribitur.

tutes angelicæ; de quibus dicitur Coloss. 1. „ Sive throni, sive dominationes. *Augustinus* 20. de Civit. Dei (cap. 24.) Descendet enim cum Angelis, quos advocabit de supernis locis ad faciendum iudicium: unde dicitur: *Et omnes Angeli ejus cum eo. Chrysofomus* (in hom. 80.) Omnes enim Angeli cum ipso aderunt, testantes, & ipsi quantum administraverunt missi à Domino ad hominum salutem. *Augustinus* de Pœnitentia. (b) Vel Angelorum nomine significavit homines qui cum Christo iudicabunt: Angeli enim nuntii sunt; nuntios autem rectissime accipimus omnes qui salutem cælestem hominibus nuntiaverunt.

Sequitur: *Et congregabuntur ante eum omnes gentes. Remigius*. His verbis vera hominis futura demonstratur resurrectio. *Augustinus* 20. de Civ. Dei (cap. 24.) Hæc autem congregatio per ministerium angelicum fiet, quibus in Psalm. 49. dicitur: „ Congregate illi sanctos ejus. *Origenes* (tract. 34.) Vel non localiter intelligimus quod congregabuntur ante eum omnes gentes, sed quia jam non erunt dispersæ in dogmatibus falsis, & multis de eo. Manifesta enim fiet divinitas Christi, ut non solum nullus iustum, sed nec aliquis peccatorem ignoret: non enim in aliquo loco apparebit Filius Dei, & altero non apparebit; sicut ipsi secundum comparisonem fulguris voluit demonstrare. Quamdiu ergo iniqui nec se cognoscunt, nec Christum, vel iusti per speculum in enigmate vident, tandiu non sunt segregati boni à malis; cum autem propter manifestationem Filii Dei, omnes ad intellectum venerint suum, tunc Salvator segregabit bonos à malis: unde sequitur: *Et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis: quia & peccatores cognoscunt sua delicta, & iusti manifeste videbunt semina justitiæ suæ ad qualem eos perduxerint finem. Oves autem dicti sunt qui salvantur, propter mansuetudinem quam didicerunt ab eo qui dicit supra 11. *Discite à me quia mitis sum; & propter quod usque ad occisionem parati fuerunt venire, imitantes Christum, qui, sicut ovis ad occisionem ductus est.* Esai. 53. Hædi autem dicuntur mali, qui aspera, & dura saxa ascendunt, & per præcipitia eorum incedunt. *Chrysofomus* (in hom. 80.) Vel hos vocat hædos, illos autem oves, ut horum instructiositatem ostendat,*

ostendat, nullus enim sit ab hædis fructus; illorum autem utilitatem, multus enim est ovium fructus & à lana, & à lacte: & à factibus qui parturiunt. Nominem autem ovis in Scripturis divinis simpliciter, & innocentia solet designari. Pulchre ergo in hoc loco per oves electi designantur. *Hieronymus* (super *Cum venerit Filius hominis.*) Hædus autem lascivum est animal, & fervens semper ad coitum, & semper pro peccatis offertur in lege: nec dicit capras, quæ possunt habere fetus, & tonsæ egrediuntur de lavaero. *Chrysofomus* (in hom. 80.) Deinde segregat eos etiam situ: nam sequitur: *Et statuet oves quidem à dextris, hædos autem à sinistris. Origenes* (tract. 34.) Sancti enim, qui dextera opera operati sunt, acceperunt pro mercede suorum dexterorum dexteram Regis, in qua quiescit, & gloria est; mali vero propter opera sua pelsima, & sinistra, ceciderunt in sinistram, id est in tristitiam tormentorum. Sequitur: *Tunc dicit Rex eis qui à dextris ejus erunt, Venite: ut quicquid minus fuerit eis, cum perfectius unti fuerint Christo consequantur. Addit autem, Benediciti Patris mei; ut eminentia benedictionis eorum manifestetur: quia prius, benedicti sunt à Domino, qui fecit cælum, & terram: Psalm. 113. *Rabbanus* (hoc loco.) Vel vocantur benedicti quibus pro bonis meritis debetur æterna benedictio. Patris autem sui dicit esse regnum, quia ad eum refert potestatem regni à quo ipse Rex est genitus: unde per auctoritatem regiam, quia ipse solus exaltabitur in die illa, profertur iudicii sententiam: unde signanter dicitur: *Tunc dicit Rex. Chrysofomus* (in hom. 80.) Nota autem, quod non dixit, Accipite, sed possidete, sive hereditate, sicut familiaria bona, sive paterna, sicut vestra vobis antiquitus debita: unde dicitur: *Paratum vobis regnum à constitutione mundi. Hieronymus* (super *Venite benedicti.*) Hæc autem juxta præscientiam Dei accipienda sunt, apud quem futura jam facta sunt. *Augustinus* 20. de Civ. Dei (cap. 9.) Excepto autem illo regno, de quo in fine dicitur est, *Possidete paratum vobis regnum*, licet longe impari modo, etiam præfens Ecclesia dicitur regnum ejus, in quo adhuc cum hoste configitur, donec veniat ad illud pacatissimum regnum, ubi sine hoste regnabitur. *Augustinus* de Pœnitentia (ubi supra.) Sed dicit aliquis: Regnare nolo, sufficit mihi salvum esse: in quo primum eos fallit, quia eorum nec salus est ulla quorum iniquitas perseverat; deinde si est aliqua differentia inter regnantes & non reg-*

nantes, oportet tamen ut in uno regno sint omnes, ne in hostium, aut aliorum numero deputentur, & ceteris regnantibus ipsi pereant. Omnes enim Romani Romanum regnum possident, quamvis non omnes in eo regnent. *Chrysofomus* (in hom. 80.) Pro quibus ergo sancti, cælestis regni bona accipiant, manifestatur cum subditur: *Tunc dicit Rex, Venite, & deditis mihi manducare. Remigius*. Et notandum, quod in hoc loco sex opera misericordie à Domino commemorantur; quæ quicumque implere studuerit, à constitutione mundi præparatum electis percipere merebitur. *Rabbanus*. Mystice autem qui esurientem, & sitientem justitiam pane verbi reficit, vel potu sapientiæ refrigerat, & qui errantem per hæresim, vel per peccatum in domum matris Ecclesie recipit, & qui infirmum in fide assumit, vere dilectionis observat jura. *Gregorius* 26. Moral. (a) (cap. 25.) Hi autem quibus iudex veniens in dextera (1) consistentibus dicit, *Esurivi &c.* sunt qui ex parte electorum iudicantur, & regnant, qui vitæ maculas lacrymis terunt; qui mala præcedentia factis sequentibus redimunt; quicquid illicitum aliquando fecerant, ad oculis iudicis elemosynarum superductione cooperiunt. Alii vero sunt qui non iudicantur, & regnant, qui etiam præcepta legis perfectionis virtute transcendunt. *Origenes* (tract. 34.) Humilitatis (2) autem causa laudei beneficiorum suorum indignos se proclamant, non obliuitorum quæ fecerunt. Ipse autem eis ostendit suam compansionem in suis; unde sequitur: *Tunc respondebunt ei iusti, dicentes: Domine, quando te vidimus? &c. Rabbanus* (in hoc loco.) Hoc quidem dicunt non diffidentes de verbis Domini; sed stupent de tanta sublimitate, & de maiestatis suæ magnitudine; vel quia videbitur eis parvum esse bonum quod egerant, secundum illud Apostoli Rom. 8. „ Non sunt, condigna passiones hujus temporis ad futuram, gloriam quæ revelabitur in nobis.

Sequitur: *Et respondens Rex dicit eis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Hieronymus* (super *Amen dico vobis.*) Libera quidem nobis erat intelligentia, quod in omni paupere Christus esuriens palceretur, sitiens potareretur, & sic de aliis; sed ex hoc quod sequitur, *Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis &c.* non mihi videtur generaliter dixisse de pauperibus, sed de his qui pauperes spiritu sunt; ad quos extendens manum dixerat supra 21. *Frates mei sunt qui faciunt voluntatem Patris mei.* (3) *Chrysofomus*.

(1) Al. consistentium. (2) Al. ergo. (3) Al. Rabbanus. EX EDIT. P. NICOL. (a) Cap. 24. Vel in antiquis codd. cap. 25. super illud Job 36. *Iudicium pauperibus tribuit*, non sicut prius 15. Moral. sine alio indice.

Isidorus (hom. 80.) Sed si fratres ejus sunt, quare eos minimos vocat? Propter hoc quia sunt humiles, quia pauperes, quia abjecti. Non autem per hos monachos solum intelligit, qui ad montes secesserunt; sed unumquemque fidelem, etiam si fuerit secularis; & fuerit esuriens, aut aliud hujusmodi; vult misericordie procuracione potiri: fratrem enim baptisma facit (1) & mysteriorum communicatio.

Sequitur: *Tunc dicit & his qui à sinistris ejus erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui preparatus est diabolo, & angelis ejus.* *Origenes* (tract. 34.) Sicut justis dixerat, *Venite, ita & injustis dicit: Discedite*: nam propinquum Verbo qui servant Dei mandatum, & vocantur ut adhuc propinquiores efficiantur; longe autem ab eo sunt, etsi videntur ei assistere, qui non faciunt mandata ipsius: propter hoc audiunt, *Discedite*, ut qui modo vel videntur esse ante eum, postea nec videantur. Considerandum est autem, quoniam in sanctis dictum est, *Benedicti Patris mei*; non autem nunc dicitur, *Maledicti Patris mei*: nam benedictionis quidem ministrator est Pater; maledictionis autem unusquisque sibi est auctor, qui maledictione digna est operatus. Qui autem recedunt à Jesu, decidunt in ignem æternum, qui alterius est generis ab hoc igne quem habemus in usu. Nullus enim ignis inter homines est æternus, sed nec multi temporis. Et considera quoniam regnum quidem non Angelis præparatum dicit, ignem autem æternum diabolo, & angelis ejus: quia quantum ad se, homines non ad perditionem creavit; peccantes autem conjungunt se diabolo, ut sicuti qui salvantur, sanctis Angelis coquantur, sic qui pereunt diaboli angelis (2) coquantur. *Augustinus* 20. de Civ. Dei (cap. 10.) Ex hoc autem (3) patet quod idem ignis erit hominum supplicio attributus, & dæmonum. Si autem erit corporali tactu noxius; ut eo possint corpora cruciari, quomodo in eo erit pena spirituum malignorum, nisi quia sunt quedam dæmonibus corpora, sicut quibusdam visum est, ex isto aere crasso, atque humido? Si autem aliquis nulla habere dæmones corpora asserat, non est de hac re contentiosa disputacione certandum. Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis, etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi; si spiritus hominum, etiam ipsi profecto incorporei, & nunc poterunt concludi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? Adhærebunt er-

(1) *Al.* ministeriorum. (2) *Al.* comparantur. (3) *Al.* habetur. (4) *Al.* corporibus. (5) *Al.* passibilis. Ex edit. P. Nicol. (a) Vel in antiquis codd. cap. 24. super illud Job 36. *Judicium pauperibus tribuit.*

tem quibus hoc dicitur, sunt mali fideles, qui judicantur, & pereunt; alii vero, scilicet infideles, non judicantur, & pereunt; non enim eorum tunc causa discutitur qui ad conspectum districti judicis jam cum damnatione suæ infidelitatis accedunt; professionem vero fidei retinentes, sed professionis opera non habentes, redarguantur ut pereant. Illi enim saltem verba judicis audiunt, quia ejus fidei saltem verba tenuerunt; illi in damnatione suæ æterni judicis nec verba (1) suscipiunt, quia ejus reverentiam nec verbo tenus servare voluerunt: nam & princeps terrenam tempulicam regens aliter punit civem interius delinquentem, atque aliter hostem exterius rebellantem: in illo enim jura sua consulit; contra hostem vero bellum movet, & de pœna ejus quid lex habeat non requirit. *Chrysostomus* (in hom. 80.) Verbis autem judicis redarguitur, cum mansuetudine loquuntur; sequitur enim: *Tunc respondebunt ei & ipsi dicentes: Domine quando te vidimus? Origenes* (tract. 34.) Considera, quia justus improprie in unoquoque verbo; injusti autem non ita per singula, sed cursim dicunt: quoniam proprium est justorum bene facta sua relata sibi in facie, diligenter, & per singula referre causa humilitatis; malorum autem hominum est culpas suas excusationis causa aut nullas esse ostendere, aut leves, & paucas. Sed & responsio Christi hoc ipsum signat; unde sequitur: *Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis. Volens enim justorum bene facta ostendere grandia, peccatorum autem culpas non grandes, ad justos quidem dicit: Ex eo quod fecistis mihi ex minimis meis fratribus: ad injustos autem non adiecit fratribus: revera enim fratres ejus sunt qui perfecti sunt. Gratus est autem apud Deum opus bonum quod fit in superioribus quam in minus sanctis; & levior culpa est negligere minus sanctos quam sanctiores.* *Augustinus* 20. de Civit. Dei. (cap. 1.) Nunc autem de novissimo judicio agitur, quando Christus de celo venturus est, vivos, & mortuos judicaturus. Divini judicii ultimum hunc diem dicimus, id est novissimum tempus: nam per quot dies istud judicium protendatur incertum est; sed Scripturarum sanctarum more dies poni solet pro tempore. Ideo autem dicimus ultimum judicium, vel novissimum, quia & nunc judicat, & ab humani generis initio judicavit, à ligno vitæ separans primos homines, & angelis peccantibus non parcens; in illo autem finali judicio simul & homines, & angeli

S. Thom. Oper. Tom. VIII.

(1) *Al.* percipiunt. (2) *Al.* ab hominibus. (3) *Al.* ab injustitia. Ex edit. P. Nicol. (a) 34. Moral. cap. 16. Quod subjungitur ex Gregorio, est in antiquis codd. cap. 11. super illud Job 31. *Esuriam quasi senescentem,*

judicabuntur: set enim virtute divina ut cuncta opera sua vel bona, vel mala cuncta in memoria revocentur, & membris intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset, vel excuset scientia conscientiam.

(d) *Augustinus* de Fide, & Operibus (cap. 25.) Nonnulli seipso seducunt dicentes ignem æternum dictum, non ipsam pœnam æternam. Hoc prævidens Dominus, sententiam suam ita conclusit dicens: *Et ibunt hi in supplicium æternum, justi vero in vitam æternam.* *Origenes* (tract. 34.) Attende quoniam, cum prius dixisset, *Venite benedicti*, deinde: *Discedite maledicti*, propterea quod proprium boni Dei est primum recordari benefacta bonorum quam malefacta malorum, hic prius nominat pœnam malorum, deinde vitam bonorum, ut primum quæ timoris sunt, evitemus mala, postea quæ honoris sunt, appetamus bona. *Gregorius* 25. Moral. (cap. 9. in nov. exempl.) Si ergo tanta pœna mulctatur qui non dedisse convicitur; quæ pœna feriendus est qui redarguitur abstulisse aliena? *Augustinus* 19. de Civ. Dei (cap. 11.) Est autem vita æterna summum bonum nostrum, & finis Civitatis Dei; de quo sine dicit Apostolus Rom. 6. „Finem vero vitam æternam.“ Sed rursus quia vita æterna ab his qui familiaritatem non habent cum Scripturis sanctis, potest accipi etiam in vita malorum propter animæ immortalitatem, vel propter interminabiles pœnas impiorum; profecto finis Civitatis hujus, in quo summum habebitur bonum, vel pax in vita æterna, vel vita æterna in pace dicendus est, ut (2) ab omnibus possit intelligi. *Augustinus* 1. de Trinit. (cap. 13.) Quod enim dixit Dominus famulo suo Moysi Exod. 3. „Ego sum qui sum“ hoc contemplantur cum vivemus in æternum. Ita enim Dominus ait Joan. 17. „Hæc est vita æterna ut cognoscant te verum Deum.“ Hæc enim nobis contemplatio promittitur actionum omnium finis, atque æterna perfectio gaudiorum, de qua dicit Joannes Epist. 1. cap. 3. „Videbimus eum“, sicuti est. *Hieronymus.* Prudens autem lector intende, quod & supplicia æterna sunt, & vita perpetua metum deinceps non habeat ruinæ. *Gregorius* (2) (Lib. 4. Dial. cap. 44.) Iniquant: Ideo peccantibus minatus est, ut eos à peccatis compesceret: quibus respondemus: Si falsa minatus est, ut (3) injustitiam corrigeret, etiam falsa promiserat; ut ad justitiam provocaret, & sic cum fatigant Deum perhibere misericordem, non veniant prædica-

E 5

re fallacem. At, inquiunt, sine fine puniri non debet culpa cum sine: quibus respondemus, quod recte dicerent, si iudex iustus non corda hominum, sed facta pensaret. Ad districti ergo iudicis iustitiam pertinet ut nunquam careant supplicio quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato. *Augustinus* de Civ. Dei (Lib. 21. cap. 1.) Nullius etiam legis iustitia attendit ut tanta mora temporis quisque puniatur, (1) quanta unde puniretur admittit. Nullus enim extitit qui censeret tam cito nocentium finienda (2) esse tormenta, quam cito factum est homicidium, vel adulterium. Qui vero pro aliquo grandi crimine morte multatur, numquid moram qua occiditur, ejus supplicium leges existimant, & non quod eum in sempiternum auferant à societate viventium? Jam vero damnum, ignominia, exilium, servitus, cum plerumque sic infligantur ut nulla venia relaxentur, nonne pro hujus vita modo similia penis videntur æternis? Ideo quippe æterna esse non possunt, quia nec ipsa vita quæ his plectitur, pernititur in æternum. Sed inquiunt: Quomodo ergo verum est quod ait Christus supra 7. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*; si temporale peccatum supplicio puniretur æterno? (3) Nec attendunt non propter æquale temporis spatium, sed propter vicissitudinem mali; idest, ut qui mala fecerit mala patiatur, eandem dictam mensuram fuisse. Factus est autem homo malo dignus æterno, qui hoc in se peremit bonum quod esse possit æternum. *Gregorius* (a) (Lib. 4. Dial. cap. 44.) At inquiunt: Nullus iustus crudelitatis pacitur, & delinquens servus à iusto domino idcirco cædi præcipitur, ut à nequitia corrigatur. Iniqui autem gehennæ ignibus traditi, quo sine semper ardebant? Quibus respondemus, quod omnipotens Deus, quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur; quia autem iustus est, ab iniquorum ultione non sedatur: & tamen ad aliquid iniqui semper concremantur, ut scilicet iusti tanto in æternum magis divinæ gratiæ debitores se esse cognoscant, quanto in æternum mala puniri conspiciunt, quæ ejus adiutorio vitare poterunt. *Augustinus* 21. Lib. de Civ. Dei (cap. 17.) Sed nullum est, inquiunt, corpus quod dolere possit, mori non possit. Neceffe est autem ut vivat dolens, non est necesse ut occidat dolor: quia nec corpora

(1) *Al.* quanta mora temporis unde &c. (2) *Al.* omittitur esse. (3) *Al.* attenduntur propter æquale &c. (4) *Al.* misericordias, & sic infra. *P. Nicolai* habet faciendo sanctis veras miseras &c. (5) *Al.* ab humano erat affectu. (6) *Al.* ergo, item autem ergo. (7) *Al.* non solum.

EX EDIT. P. NICOL. (a) 34. Moral. ut supra: nempe cap. 16. in codd. novis, cap. tamen 12. in antiquis. Eadem quoque habet Lib. 4. Dialogorum cap. 44. ad ininterrogationem Petri respondens.

(b) 34. Mor. ut supra.

ista mortalia omnis dolor occidit: & ut dolor aliquis possit occidere, illa causa est, quoniam sic connexa est anima huic corpori ut summis doloribus cedat, atque discedat; tunc autem tali corpori anima, & eo connectitur modo ut illud vinculum nullo dolore vincatur. Non ergo tunc nulla, sed femperiterna mors erit, quando nec vivere anima poterit, Deum non habendo, nec doloribus corporis carere moriendo. Inter hujusmodi autem æternitatem supplicii negantes misericordior fuit Origenes, qui & ipsum diabolum, & angelos ejus post graviora pro meritis, & diuturna supplicia ex illis cruciatibus eruendos, & sociandos sanctis Angelis credidit. Sed illum & propter hoc, & propter alia nonnulla non immerito reprobovit Ecclesia: quia & hoc quod misericors videbatur amisit, faciendū veras (4) miseras, quibus penas luerent, & falsas beatitudines in quibus securum, & sempiternum boni gaudium non haberent. Longe autem aliter aliorum misericordia (5) errat affectu, qui hominum illo iudicio damnatorum miseras temporales, hominum vero qui vel citius, vel tardius liberantur, æternam felicitatem putant. Cur autem hæc misericordia ad universam naturam manat humanam, & cum ad angelicam ventum fuerit, mox arefcit? *Gregorius* (b) (Lib. 4. Dial. cap. 44.) At inquiunt: Ubi est quod sancti sunt, si pro inimicis suis, quos tunc ardere viderint, non orabunt? Orant quidem pro inimicis suis eo tempore quo possunt ad fructuosam penitentiam eorum corda convertere; quomodo (6) autem tunc orabitur pro illis qui jam nullatenus possunt ab iniquitate commutari? *Augustinus* 21. de Civ. Dei (cap. 19.) Item sunt alii ab æterno supplicio liberationem non omnibus hominibus promittentes, sed tantummodo Christi baptisimæ ablutis, qui participes sunt corporis ejus, quomodolibet vixerint: propter illud quod ait Dominus Joan. 6. „ Si quis manducaverit ex hoc pane, non morietur in æternum. “ (Cap. 20.) Item sunt qui non omnibus habentibus Christi sacramentum, (7) sed solum catholicis, quamvis male viventibus, hoc pollicentur, qui non solum sacramento, sed re ipsa manducaverunt corpus Christi, in corpore ejus quod est Ecclesia constituti, etiam si postea in aliquam hæresim, vel in gentilium idolatriam fuerint lapsi.

(Cap.

(Cap. 21.) Sunt autem qui propter id quod scriptum est supra 24. *Qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit*, non nisi in catholica Ecclesia perseverantibus hoc promittunt, quod merito fundamenti, idest fidei, per ignem salventur; quo ignem in ultimo iudicio punientur mali. Sed omnibus his contradicit Apostolus dicens Gal. 6. „ Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt immunditia, fornicatio, & his similia: quæ prædico vobis, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. “ Si quis autem temporalia in corde suo præponit Christo, etiam videatur habere fidem Christi, non est tamen in eo fundamentum Christus, cui alia præponuntur: quanto magis si committat illicita, non præposuisse, sed postposuisse Christum, convincitur? (Cap. 22.) Comperitiam quosdam putare eos solum arduos illius æternitate supplicii qui pro peccatis dignas eleemosynas facere negligunt; ideo iudicem ipsum noluisse existimant aliud commemorare se esse dictatum, nisi eleemosynas sive factas, sive non factas. (Cap. 27.) Sed qui digne pro peccatis suis eleemosynas facit, prius eas facere incipit à seipso: indignum est enim ut ipse sibi non faciat qui facit in proximum, cum audiatur dicentem Deum supra 22. *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: itemque audiatur Eccl. 30. „ Miserere animæ tuæ, placens Deo. “ Hanc eleemosynam, idest ut Deo placeat, non faciens animæ suæ, quomodo dignas pro peccatis suis fa-

cere eleemosynas dicendus est? Propter hoc ergo eleemosynæ faciendæ sunt, ut cum de præteritis peccatis deprecamur, exaudiamur, non ut in eis perseverantes licentiam male faciendi nos per eleemosynas comparare credamus. Ideo autem Dominus à dextris eleemosynas ab eis factas, in sinistris non factas se imputatorem esse prædixit, ut hinc ostenderet quantum valent eleemosynæ ad priora delenda, non ad perpetua impune committenda peccata. *Origenes* (tract. 34.) Vel non unius tantum iustitiæ species remuneratur, sicut existimant multi. In quibuscumque enim causis mandatum Christi quis fecerit, Christum cibatur, & potatur, qui fidelium iustitiam, & veritatem manducat, & bibit. Item Christo algenti teximus vestimentum, accipientes sapientiæ texturam, adeo ut per doctrinam aliquos doceamus, & induamus eos viscera misericordiæ. Quando etiam præparamus cor nostrum diversis virtutibus ad receptaculum ejus, vel illorum quæ sunt ipsius ipsum peregrinantem suscipimus in domum peccatoris nostri. Item eum fratrem infirmum sive in fide, sive in bono opere visitaverimus, aut per doctrinam, aut in crepationem, aut per consolationem, (1) ipsum Christum visitamus. Deinde omne quod hic est, carcer est Christi, & eorum qui sunt ejus, qui sunt in hoc mundo degentes, quasi etiam in carcere naturæ necessitate conficti. Cum ergo bonum opus in eis fecerimus, visitamus eos in carcere, & Christum in eis.

(1) *Al.* qui ipsum.

CAPUT XXVI.

(a) ET factum est, cum consummasset Jesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis: Scitis quia post biduum pascha fiet, & Filius hominis tradetur ut crucifigatur.

(b) Tunc congregati sunt principes sacerdotum, & seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caïphas, & consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent, & occiderent. Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.

(c) Cum autem esset Jesus in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis. Videntes autem discipuli, indignati sunt dicentes: Ut quid perditio hæc? Potuit enim istud venundari multo, & dari pauperibus. Sciens autem Jesus ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me. Nam semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habetis. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam ejus.

(d) Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Scarioth, ad principem sacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. Er exinde quarebat opportunitatem ut eum traderet.

(e) Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere pascha? At Jesus dixit: Ite in civitatem ad quemdam, & dicite ei: Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio pascha cum discipulis meis. Er se-